

Epreuve écrite

Examen de fin d'études secondaires 2006

Section: A,B,C,D,G,*E*,*F*

Branche: latin à 3 heures

Nom et prénom du candidat

_____ _____
 _____ _____

TEXTE CONNU

Natura enim humanus animus agilis est et pronus ad motus. Grata omnis illi excitandi se abstrahendique materia est, gravior pessimis quibusque ingeniis, quae occupationibus libenter deteruntur : ut ulcera quaedam nocituras manus appetunt et tactu gaudent et foedam corporum scabiem delectat quicquid exasperat, non aliter dixerim his mentibus, in quas cupiditates velut mala ulcera eruperunt, voluptati esse laborem vexationemque.

Sunt enim quaedam quae corpus quoque nostrum cum quodam dolore delectent, ut versare se et mutare nondum fessum latus et alio atque alio positu ventilari : qualis ille homericus Achilles est , modo pronus, modo supinus, in varios habitus se ipse componens, quod proprium aegri est, nihil diu pati et mutationibus ut remediis uti. (110 mots)

Sénèque : De Tranq.an,2

TEXTE INCONNU

La nature humaine

Principio, generi animantium omni est a natura tributum ut se, vitam corpusque tueatur, declinet ea quae nocitura videantur, omniaque quae sint ad vivendum necessaria, anquirat et paret ut pastum, ut latibula, ut alia generis ejusdem. Commune autem animantium omnium est conjunctionis appetitus procreandi causa et cura quaedam eorum quae procreata sint ; sed inter hominem et beluam hoc maxime interest, quod haec tantum, quantum sensu movetur, ad id solum quod adest quodque praesens est, se accommodat, paulum admodum sentiens praeteritum aut futurum ; homo autem, quod rationis est particeps, per quam consequentia cernit, causas rerum videt earumque praegressus et quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat rebusque praesentibus adjungit atque annexit futuras, facile totius vitae cursum videt ad eamque degendam praeparat res necessarias. (118 mots).

Cicéron : De Officiis IV,11

Vocabulaire

tueor,ris,eri,tuitus sum : protéger
 declinare : éviter
 anquiro = quaero
 pastus,us,m. : nourriture
 latibulum,i,n. : gîte
 conjunctio,onis,f. : le fait de s'unir
 belua,ae,f. : bête
 se accommodare : s'adapter

admodum : peu
 consequentia,orum,n.pl. : enchaînements
 praegressus ... antecessiones : préambules ...antécédents
 annexo,is,ere,nexui,nexum : rattacher
 dego,is,ere - - : mener